



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 169. Cardinales conclave ingressi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Secul. XV.
A.C. 1455.

illis, qui eos vertebant. Nec minus sollicitus fuit in latinis quoque Auctoribus indagandis. Adeo literarum amor, ac liberalitatis suæ genium ex æquo certarunt, ut ei, qui sibi Evangelium Sancti Matthæi Hebraicum afferret, quinque ducatorum millia pollicitus esset. Ecclesias vasis aureis, atque argenteis, sacerdotalibusque indumentis ac aulæis pretiosissimis munificentissime decoravit. Ab omni avaritiæ specie semper adeo alienus erat, ut nullum officium unquam vendiderit, virgines vero inopes ex iis, quæ sibi subtraxerat, in matrimonium collocaverit.

Platin. in Nicol. V.

Addit. ad Ciaton.

Refert quidem Platina, eum facilem nonnihil ad iram fuisse; ast confestim subjungit: facilis etiam reditu ad benevolentiam erat; adeo prompte ejus innata virtus vitium illud correxit. Morte occupatus est eodem tempore, quo Sigismundum Austriæ Ducem ad se vocasset, eo quod Cardinalem de Cusa a jurisdictionis exercitio in suo Brixienfi Episcopatu impedire ausus fuisset.

§. CLXIX.

Cardinales Conclave ingressi.

Justis summo Pontifici Nicolao de more persolutis, cunctisque pro civitatis, atque palatii securitate dispositis, Cardinales

les numero quindecim conclave ingre- Sæcul. XV.
A.C. 1455.
diuntur, ac Missa solemnè per Cardina-
lem Decanum celebrata, aditus Legatis,
ac Christianorum Principum Oratoribus
patuit, qui hora ad vesperam quinta ad
alloquium admissi sunt. Demum Cardi-
nales illi, qui conclavis Principes dicun-
tur, fores sumptis secum clavibus occlu-
di iusserunt.

§. CLXX.

*Bessarion a quibusdam, aliis relu-
stantibus, in Papam pro-
positus.*

Cardinales conclave ingressi in duas
scindebantur partes. Inde factum,
ut primæ duæ suffragiorum collectiones
incassum peragerentur, in tertia vero Car-
dinalis Bessarion eligendus proponere-
tur. Cardinales, qui Bessarioni non fa-
vebant, hinc præclara Viri merita, inde
sufficientem suffragiorum in eum conve-
nientium numerum considerabant: qua-
propter collatis cum Cardinale Avenio-
nensi consiliis illius electionem impedire
moliebantur. Hos inter Avenionensis
acribus verbis suos Collegas in conclavi
congregatos increpabat, quod neophy-
tum non ita pridem ab Ecclesia Græ-
ca segregatum eligere, & Ecclesiæ Ro-
manæ Græcum Pontificem obtrudere
vellent;